



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

Ad condolentißimam Matrem Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

- I. **O** Splendor & candor lucis æternæ, quam penitus modò extinctus es, dum te anima mea in tristissimæ matris sinu exanimè contemplatur, & pijs cum querimonijs ac laude circumplectitur sub cruce. Extingue in me ardentem vitiorum omnium libidinem & cupiditatem. II. O speculum sine macula Dei maiestatis, vt præ amore, salutis meæ causa conammatum es. Repurga sordentes & grandes maculas vitiorum meorum. III. O imago lucidissima bonitatis Dei patris, quanto opere cõspicata es. Reforma ac redintegra deprauatam animæ meæ imaginè. IV. O agne innocèntissime, quam immaniter tractatus es. Satisfac & expia noxiam & malè de te meritam vitam meam. V. O rex regum & Domine dominantium, præsta mihi obsecro, vt quemadmodum anima mea cum lamento ac dolore te nunc ad abiectum complectitur: ita tu meam in tua sempiterna claritudine & gloria circumplectaris cum gaudio.

Ad condolentissimam Matrem IESV.

- I. **S**acratissima virgo MARIA, recordare quæso inestimabilis doloris illius, qui te inuasit, cum exanime filij tui corpus à tuo pectore auelleretur. II. Memineris tristissimæ sepulchro filij discessionis. III. Vestigiorum ac gressuum tuorum miserabilium. IV. Molestissimi cordis, ad filium sepultum suspirantis. V. Constantissimæ fidelitatis, & fidelissimæ constantiæ, quam tu sola illi exhibuisti in cubilijs eius angu-

angustijs ac necessitatibus, donec in monumento reconditum cerneres.

ORATIO.

Impetra mihi pijsissima mater apud dilectissimum filium tuum, vt illius passione & tuis doloribus cunctas meas afflictiones & dolores superem, vt in eius sepulchro à quibuslibet curis & occupationibus temporarijs me abscondam, vt totus hic Mundus mihi vertatur in exilium: adeo illi vni auidissime suspirem, atq; in illius laude & tuo famulatu ad vltimū vsq; spiritum stabilis perseuerem. Amen.

DE AETERNA SAPIENTIA
EXERCITIVM, AMANTI ANIMAE
REVERA DVLCISSIMVM D. HEN-
rico Susoni diuinitus reue-
latum.

QUIS QVIS optat æternæ Sapientiæ, quæ est Dominus noster Iesus Christus, amabilis fieri Discipul^o, in Dei amore perpetim profectum facere, à malis seruari, gratia, benedictione & familiari Dei amicitia affici, bene viuere & feliciter mori, cuiuscunque status vel conditionis sit, ea quæ sequuntur diligenter obseruabit, quæ sunt ita moderata ac temperata, vt nihil habeat difficultatis, & quilibet ea posset exequi absq; præiudicio sui status vel conditionis. Non enim hic vlla cuiquam obligatio indicitur, sed qui torpore animi contracti sunt, ad Dei amorē inuitantur. In primis igitur quilibet æternæ Sapientiæ discipulus, omnē
priua-